

tissimi sunt, qui à Christo, & per Christum sua obeunt negotia, feliciter in terris beati, ut feliciùs beentur in cœlis.

2246 Et signatum pro Christo in Eucharistia illud observa, quod de Manna ejus typo dicitur Exod. 16. 31. & Numer. 11. 7. erat quasi semen coriandri: Hebraicè Gad, quod fortunam significat, seu felicitatem Mai. 65. 11. Ut quidem designetur, à Christo ibi delitescere felicitari, & fortunari tum nos, tum etiam nostra omnia: fortunatissimi sunt hujus mensæ cultores, fortunatissime illis conatus omnes succedunt, cum intemè eis adsit bona ipsa fortuna & felicitas. Vera hæc fortuna mensa; non inanis illa, de qua Isaias citatus: qui ponitis fortunam mensam. Hebraicè Gad, quod Arias vertit, bonæ gratiæ, vel bono eventui. Hoc enim, substitutione correcta, Deus transtulit ad suum cultum, voluitque in suo Eucharistico altari apponi panem & vinum, ut homines dignè convivantes feliciores essent in negotiationibus suis, bonâ fortunâ, seu bonâ gratiâ, id est, Eucharistiâ, omnem prosperitatem aspirante. Quò pulchrè referas Evangelicam parabolam de decem minis, seu pecuniis creditis à nobili viro servis suis, ut negotiarentur, lucreque ex illis compararent. Oblatus est ei unus, qui pecuniam habuit repositam in sudario. Tunc ad illum Dominus: Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum usuris utique exegissem illam? Quæ hæc mensa, ad quam si accederet servus, felicissimè negotiaretur? Mensa utique Eucharistica, ait Sanctus Hieronymus Epistol. ad Heliodorum: Serve nequam, quare non dedisti mihi pecuniam meam ad mensam, id est, deposuisses ad altare. Certè si vel solum sacræ altaris mensæ dignè assideret, res tota fortunatissime succederet, benè negotiaretur, ingentia luca compararet, cum bonæ fortunæ mensa sit, bonæ gratiæ, & eventus, in qua quaestuosissimum omnium negotium facile invenitur, & qui negotiantur in ea, beati.

Per Eucharistiam fortunam, felicitatem. Exo. 16. 31.

Per Eucharistiam fortunatissime negotiamur.

Luc. 19. 23.

S. Hieron.

Ecclesiæ Doctores lux, qua elucidantur Deum.

Matt. 5. 14.

Joan. 12. 23.

Eccl. 15. 8.

Baruc. 3. 33. Ecclesiæ Doctores soli Deo lucere debent, nisi omnes illuminentur.

2247 Denique, qui elucidant me (concludit incarnata Sapientia) vitam æternam habebunt. De Ecclesiæ Doctoribus sermo est, sacris Interpretibus, & Concionatoribus, qui dum sanâ doctrinâ, & bono vitæ exemplo alios illuminant, elucidatores Christi sunt, ac jure merito deprædicantur. Matt. 5. 14. Vos estis lux mundi, &c. subditque: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Quasi hac luce indigeat Deus, ut elucidatus ab illa, glorificetur ab hominibus; vel, quod idem est, notitia ejus habeatur clara cum laude. Et Joan. 12. 23. loquens Jesus de mundi conversione per Apostolorum, virorumque Apostolicorum prædicationem, clamavit: Venit hora, ut clarificetur filius hominis. Et capite decimo quinto, v. octavo. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis. Quod Theophylactus, & alii explicant de Gentium conversione ad fidem. Huc revoces Baruch verba capite tertio, v. trigésimotertio. Stella dederunt lumen in custodiis suis, & letatæ sunt: vocatæ sunt, & dixerunt: adsumus. Et luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas. Quis nesciat, Doctores stellis comparari? Daniel c. duodecimo, v. tertio. Qui ad justitiam erudium mul-

tos, fulgebunt quasi stellæ. Taceo excubias, quas istius modi stellæ in Ecclesia agunt; prætereo perpetem illarum cursum, præparationem ad ulterius obediendum: expendo stellas hæcæ dici lucere ei qui fecit illas. Nonne Doctores lux mundi sunt; lucis verò natura est lucere omnibus, omniaque elucidare splendore suo. Quid est quod soli Deo dicuntur lucere? Certè, sicut cælorum astra totum orbem illustrant, sic Ecclesiæ Doctores omnibus lucent, ut ab ignorantia tenebris in lucem veritatis revocent universos. Nihilominus tamen soli Deo lucere dicuntur, illum solum illustrare vitæ & doctrinæ fulgoribus, quia eò potissimum lucidæ ipsorum functiones spectant, ut Christum Deum & hominem dilucidet, ejusque egregia facinora & doctrinam, quæ in sacris litteris continentur, annuntient; atque ita in hominum animis vera illa lux, quæ illuminat omnem hominem, conspicua appareat, quæ antea in tenebris ignorantia veluti conspecta jacebat.

2248 Igitur qui sic Christum elucidant, vitam æternam habebunt. Magnifica profecto vox, toto animi affectu exosculanda, dulcissimè amplectenda. Quid enim sublimius, quid optatius, quid jucundius Ecclesiæ Doctoribus, divini verbi Interpretibus & eductatoribus promitti potuisset? De præmio essentialis gloriæ est sermo, quod majus sacris Doctoribus, quam plebeis & rudibus, rependitur; quia illorum doctrina, cum sit practica & affectuosa, majorem involvit charitatem, gratiam, & spiritum; hoc enim impulsi alios docent, & cælestium cognitione & amore imbuunt. Majori autem gratiæ & charitati major à Deo promissa est, quasi merces, beatitudo & gloria essentialis. Gauderunt etiam majori gloriâ corporali, & propria aureolâ, quæ erit peculiaris quoddam splendoris decus, & insigne externum. De quo Theologi ex Danielis 12. versu tertio. Qui ad justitiam erudium multos, quasi stellæ in cælis perpetuas æternitates. Quasi dicat; præstantissimam Doctoribus aureolam concedendam ex radiantibus stellis, sive ex claritate instar stellarum constatam.

TEXTUS ILLUSTRATIO

De Deipara Virgine.

2249 Hanc etiam magnam Dei Matrem loquentem inducit Siracides noster. Atque illud in primis statuit: Qui audit me, non confundetur. Supponit Virgo suum, quod habet in Ecclesia, magisterium, & pædagogiam, de quo plura dixi in illustratione v. 1. Hinc clamitans è summis celsisque verticibus supra viam, & juxta portas civitatis in ipsis foribus, inducitur à Salomone Proverb. 8. 4. Prov. 8. 4. O viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum. Intelligite parvuli astutiam, & insipientes animadvertite. Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum, & aperientur labia mea, ut recta prædicent. Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, neque perversum, &c. Deinde v. 32. Nunc ergo filii, audite me: Beati, qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite abicere eam. Beatus homo, qui audit me, &c. Quod pressius apud Siracidem dixit: Qui audit me, qui obediens mihi, non confundetur. Et cum non

Deipara magisterium in Ecclesia.

Prov. 8. 4.

non absque confusione ullâ audienda, quæ scientiarum scientia sanctarum est ut loquitur S. Bernardus in Salve; quæ profundissimam divinæ sapientiæ ultra quam credi valeat, penetravit abyssum? ut idem autumat Abbas serm. super Signum magnum. Quæ forma discipline Christi est? ut appellat S. Hieronymus in ser. de Assumptione: moribus enim & vitâ suâ expressit perfectissimè Christi doctrinam.

2250 Subtextit deinde: Et qui operantur in me, non peccabunt. Id est, qui juxta documenta à me tradita, & normam vitæ meæ vixerint, à culpa immunes erunt. Vel etiam: qui mei fuerint studiosi, ut Christum Deum & hominem dilucidet, ejusque egregia facinora & doctrinam, quæ in sacris litteris continentur, annuntient; atque ita in hominum animis vera illa lux, quæ illuminat omnem hominem, conspicua appareat, quæ antea in tenebris ignorantia veluti conspecta jacebat.

S. Bonav. S. Bern.

Maria sitis sustentat, & fulcis cultores.

Qui Deiparam sequitur, pergit inoffenso pede.

Cant. 1. 3.

Philippus Abbas.

Cant. 4. 4.

Maria non srat virum.

quæ veluti Pharus navigantibus portum, & transeuntibus viam in urbem ostendebat. Sic Deipara, hominibus per vitiorum avia exerantibus demonstrat virtutis semitas rectâ euntes in cælum. Quod argutè dixit Gregorius Episcop. Nicomed. Facem, tanquam signum aliquod, tolle sublimem, & ad te dirige orbem terræ. Sequamur igitur Mariæ vestigia, & ductum, ne aberremus. Huc revoces columnam illam Hebræi populi ductricem, de qua Exod. 13. 21. Virginem quippe sic salutabat Epiphanius Sermon. de ejus laudibus: Ave gratiâ plena nubes columna similis, quæ Deum habes, qui populum deduxit per desertum. Quò etiam venit nubecula illa decantatissima de mari ascendens quasi vestigium hominis 3. Reg. 18. 44. Per quam designari Virginem Matrem, multorum exultatio est. Quasi vestigium hominis dicitur: quia (interprete Joanne Patriarcha Jerosolymitano de Institutione Monachorum capite trigésimotertio) Maria in suo spiritali ascensu non feminam, quam imitaretur, sed hominem divinum habuit exemplum: nempe Christum, cujus virtutes usque adeò in se perfectissimè expressit, ut ejus vestigia non alia quam Christi vestigia videantur. Imò ipsa tota vestigium Christi esse videtur; cum via Regia Salvatoris extiterit (ut loquitur Bernardus serm. 2. de Adventu) in qua ille vestigia sua impressa reliquit, gressus virtutis, & ductus ad gloriam. Vide dicta à n. 68.

2253 Illustranda quoque lectio illa, Et qui sua per me negotia obibunt, non peccabunt: id est, felicissimè agent, & peragent; omnia cedent illis prosperè, qui per me sua apud Deum negotia tractaverint. Maria enim est, ut sapientissimus scribit Idiota in Contemp. de Virgine, quæ apud Filium, sicut Filium apud Patrem, imò apud Patrem, & Filium procurat negotia & petitiones nostras. Quo etiam sensu appellatur à Bernardo in sermone secundo de Pentecost. Negotium omnium seculorum: quia cuncta omnium negotia, quæ fortunatè cedunt, ipsi pertractat felicitates spirans. Unde in ipsam similiter cadunt illa Incarnatæ Sapientiæ verba Proverbiorum 8. 14. juxta Hebræam originem: Meum est consilium & fortuna, id est, mecum, vel à me, vel per me, bona fortuna, bona fors, nullus infortunatus erit, qui per me negotia egerit sua. Advocatam præmissi peregrinationi nostræ, quæ tanquam judicis mater, & mater misericordie suppliciter & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit, ajebat Bernardus Sermone primo de Assumptione. Inde Theotocos dicta, id est, negotiatio Dei, vel ad Deum.

2254 Incarnationis mysterium, cui se Deus oppigneraverat, unicum fuit & exitium totius humani generis negotium; uti appellat Chrysologus: Seculorum negotium. Hujus felicem exitum vehementer Angeli & homines exoptabant: huc mortalium suspiria, preces, lachrymæ, cogitationes, & votorum summa. Fortunatissime tandem totum negotium peractum est. Qua id ratione, nemo ignorat. Expandat tamen dilucidè & ingeniosè Sanctus Petrus Damianus sermone de Annuntiatione: Evocatur cælestis ille conventus, & juxta Prophetam mihi Deus consilium, facit sermonem cum Angelis de restauratione eorum, de redemptione hominum, & elementorum renovatione: ac illis stupentibus & mirantibus

Et semitas rectâ euntes in cælum.

S. Gregor. Nicome.

Columna est hominum ductrix. S. Epiph.

3. Reg. 18. Maria nubecula quasi vestigium hominis. Joan. Jerosolym.

Maria via Regia Salvatoris. S. Bernard.

Per Deiparam fortunatissime negotiamur Idiota.

S. Bernard.

Maria Incarnationis negotium fortunatissime peregit. S. Chrysol.

S. Damian.



ranibus præ gaudio de modo redemptionis. statim de thesauro divinitatis Maria nomen evoluitur. & per ipsam, & in ipsa totum hoc faciendum decernitur, ut sicut sine illa nihil factum est, ita sine illa nihil refulsum sit. En tibi quæ ratione per Deiparam & in Deipara summum Incarnationis negotium prosperè Angelis & hominibus successit, post initum à Deo consilium. Hoc Incarnationis negotium etsi nomine unum, re tamen multiplex est, cum plura in se negotia contineat ad hominum salutem spectantia. Omnia utique per Mariam fortunatè peracta sunt, & re ipsa Mariano obsequio addictis feliciter cedunt. Audi Arnoldum Carnotensem de laudib. Sanctæ Mariæ loquentem de Christo ac Deipara in cælo regnantibus, & nostra apud Patrem negotia tractantibus. Christus nudato latere Patri ostendit latus & vulnera: Maria Christo pectus & ubera: nec potest illo modo esse repulsa, ubi concurrunt & orant omni lingua disertius hæc clementia monumenta, & charitatis insignia. Attende modò ad verba, quæ sequuntur: Dividunt coram Patre inter se Mater, & Filius pietatis officia, & miris allegationibus mununt redemptionis humanæ negotium. Præmuniamus igitur & nos per Mariam unicam æternæ nostræ salutis negotium, ut ipsa, uti suorum secunda fortuna, prosperam felicitatem inspiret.

2255 Extrema verba, Qui elucidant me, vel Interpretes mei, vitam æternam habebunt; sic illustrat devotus Mariæ alumnus Idiota doctissimus capite primo. Impetra, ô Virgo, tuis assiduis postulationibus, ut te laudem, te glorificem, te benedicam, tuas virtutes enarrem, & Deificam vitam prædicem, scripta de te elucidem, ut habeam in laudibus tuis vitam æternam; imò in vita æterna laudes tuas, & superbenedicti Filii tui concinam, quia scriptum est: Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Rem totam expendamus.

In primis, Deiparæ elucidatores sunt, qui eam, ejusque magnalia verbo, & scripto commendant, & evulgant: Qui elucidant me. Quasi Marianæ laudis Interpretes & buccinatores luminaria sint fulgentissima; illorum autem lingua & calamus illustrissimus splendor, jubar, seu radius, quibus Deipara illustratur, ut omnium oculis conspicua appareat, ac tantum hoc de tenebris ignorantie lumen elucescat. Ideò Apocalypf. 12. 1. Amicla sole apparuit; & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim. Hæc enim cæli luminaria decantatissimi characteres sunt sacrorum Interpretum, Doctorum, & concionatorum, quos mundi lucem Christus vocat. Nimirum alii ad instar Solis Virginem vestiunt, alii astrorum more coronant, alii instar lunæ plantas ejus exornant, ut semper & ubique gloriosa conspiciatur magna Dei Mater.

2256 Hoc illud esse reor, quod Cantic. 4. 4. dicitur: Sicut turris David collum tuum,

quæ adificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. R. David in libr. Radicum vertit: Quæ adificata est cum elevatis linguarum similitudinibus: alii apud Genebrardum: ad æcerum orum. Aquila legit, cum pinnis: quæ sunt extrema murorum & turrium fastigia, quæ in Hebræorum fabricis solebant nocturno tempore colucentibus globis, seu flammigerantibus sphaeris coronari, longè latèque illuminantibus. Unde cum nostro Sanctio efferas: cum sphaeris colucentibus. Collum igitur Deiparæ appositè assimilatur turri Davidicæ globis igneis quoquo versus radiantibus coronatæ. Quid hoc? Pulchram accipe Honorii Augustodunensis interpretationem. Collum igitur Deiparæ de ea SCRIBENTES; quia per collum cibum Dei deglutunt, & in alios, quasi in corpus, transmittunt: hi sunt ut turris David ab Hæreticis inexpugnabilis: cum propugnaculis, id est multis extructis sententiis: mille clypei pendent ex ea, scilicet defensiones sacræ Scripturæ: omnis armatura fortium, id est, ad expugnandam pravitatem Hæreticorum sacram Virginitatem impugnantium. Vides pios Mariæ Panegyristas collum illius esse? Collum planè Davidicæ turri persimile, undique splendidissimis linguis, & calamis, quasi colucentibus sphaeris, coronatum, quibus Deipara elucidatur, & magnalia illius illustrantur, longè amandaus Hæreticorum tenebris, imò eorum existimationibus, qui minus luminosam arbitrantur. Consonat Salomoni Ifaias cap. 54. 12. Ponam jaspidem propugnacula tua. Transferri potest ex Hebræo: ponam jaspidem soles tuos. Ubi S. Cyrillus Alexand. & S. Hieronym. per hæc propugnacula, sive soles, Ecclesiæ Doctores interpretantur, qui ut propugnacula hostes excludunt, & ut soles mundum illuminant. Et licet de Ecclesia Christiana sermo sit, ad Virginem quoque spectat vaticinium, ut quæ Ecclesiæ pars præcipua. Illam certè sacri Doctores, verbo & scripto propugnant, & elucidant. Quò referas Mensam panum propositionis, per quam Deiparam designari multi putant: Est enim (ut Epiphani. ait) mensa intellectualis, quæ panem vitam mundo suppeditavit. Et candelabrum aureum septem conspicuum lucernis, in quibus Ecclesiæ Doctores figurari, in confesso est. Candelabrum regione mensæ mensam illuminabat: & eò spectat omnis sacrorum Doctorum sapientia & industria, ut magnam Dei Matrem elucident. Qui elucidant me.

Vitam æternam habebunt. Quasi dicat, Mariæ laudandæ studium, æternæ gloriæ pignus, sive obfidem esse. Proverb. 31. 28. Surrexerunt filii, & beatissimam prædicaverunt. Ex Hebræo activè etiam legitur: & beatificati sunt. Quasi dum Mariam commendant beatissimam, ipsi jam cælesti Beatorum curiæ accenseantur securi de præmio. Rectè Sanctus Bonavent. in Psalterio Virginis: Scire & cognoscere te, est radix immortalitatis: & enarrare virtutes tuas, est via salutis.

In calis, Deipara non sicut perverat & peragit negotia, Arnol. Carnor.

Idiota

Elucidatores Maria qui?

Apoc. 12. 1.

Cant. 4. 4.

Collum Dei-para cum globis colucentibus/um de ea scribentes.

Honor.

Isi. 54. 12.

S. Epiphani. Cand. libr. aureum cum lucernis, Maria elucidatores.

Beati Maria laudatores. Prov. 31. 28.

S. Bonav.

Verf. 32. Hæc omnia Liber vitæ, & Testamentum Altissimi, & agnitio veritatis.

ARGUMENTUM.

Predicatorum reboratio ex sacra Scriptura.

ET si Incarnata Sapientia, & suo quoque modo Mater ejus Deipara, divinâ polleant, ac proinde suprêmâ auctoritate, quâ nulla major; adhuc tamen hucusque dicta toto concionis decursu, roborare contentunt sacrarum litterarum testimonio, ubi constat de ipsa veritate plenissimè, & ubi ea omnia continentur dilucidè, quæ ad Jesu & Mariæ gloriam spectant; & quæ ab hominibus Deus necessariò exquirat, ac illis certò promittit, estque adimpleturus fideliter.

Textus enodatus, & illustratus.

2237 GRæca exemplaria nonnulla commendiosè sic legunt: Hæc omnia liber fæderis Dei altissimi: subaudias, continet. Tigurina vertit: Hæc omnia ipse liber vitæ, & pacti Dei celsissimi sunt, veritatis scientia. Camerarius autem: atque hæc quidem sapientia atque hoc totum est liber fæderis facti cum Deo altissimo, nempe lex sancta. Syrus vero: Univerfa hæc in libro Testamenti Domini scripta sunt. Similiter alii efferunt. Si verbum, sunt, subaudiatur, sensus erit; quòd dicta hæc, imò & dicenda, sint vitæ liber, testamentum Altissimi, & agnitio veritatis, cum hic Ecclesiasticus liber certa fide sit inter cæteras Scripturas Canonicas computandus. Sed placet magis subaudire verbum continet; ut ostendat Incarnata Sapientia, quæcumque ab ipsa prolata sunt, legenda & perquirenda esse in aliis inspiratæ Scripturæ libris, nempe in Pentateucho, in Salomone, in Prophetis, & reliquis; ut Ecclesiæ Doctoribus, & sacris Interpretibus ea percurtantibus abudè claret.

2258 Appellatur in primis sacra Scriptura liber vitæ, quia instrumentum est veniendi ad vitam veram & beatam, ut Lyrantus interpretatur: vel quia vitam confert fervantibus, ut Janfenius ait. Adde, librum vitæ dici, quia per illum spiritualis vita mortuis peccatoribus confertur. In illa Ezechielis quadriga mirabilis planè erat rotarum dispositio. Nam rota erat in medio rotæ, & spiritus vitæ erat in rotis. Per rotas, unam in altera inclusas, utrumque Testamentum Sanctus Gregorius intelligit, novum in veteri contentum. Spiritum autem vitæ in illis agentem sic interpretatur. Idcirco dicitur via Spiritus in rotis esse, quia Scripturæ sacræ duo sunt Testamenta, quæ Dei spiritus scribi voluit, ut nos à morte animæ liberaret. Quod ex Psal. 118. 93. confirmat: In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me. Sunt enim in sacris litteris præsidia multa, quibus multi ab spirituali morte ad spiritualement vitam transferuntur. Ut Deus humano Adami corpori vitam inderet, dicitur Genes. 2. inspirasse in faciem ejus spiraculum vitæ; quasi ex divinis præcordis deductum. Divina Scriptura cor Dei appellari solet 1. Reg. 2. 35. Suscitabo sacerdotem fide-

Cur sacra Scriptura appelletur liber vitæ.

Ezech. 1.

Rota vitalis in medio vitalis rota novum testamentum in veteri. S. Gregor.

Pf. 118. 93. Vita spiritalis in sacris litteris.

Gen. 2. Scriptura sacra cor Dei, unde spiraculum vitæ.

P. Ildeph. de Flores in Eccles.

lem, qui juxta cor meum faciat: ex ejusdem Gregorii interpretatione ad illa verba, Quid cor Dei nisi sacram ejus Scripturam accipimus? Ab hoc Dei corde spiraculum vitæ deducitur, quo non jam corpora, sed animæ vivificantur. Divinæ spirationis statum percipimus (ajebat Richardus Victorinus in Psal. 134.) cum in divinis Scripturis cælestis Sapientia thesauros mirantes rimamur. Inde Proverb. 3. Custodi legem, atque consilium meum, & erit vita anime tue.

2259 Vita quidem gloriæ æterna. Ut enim Sanctus Ambrosius in Pf. 33. de sacra Scriptura loquens: Ipsa est esca, quæ vitam æternam tribuit. Expende Jobi pronuntium capit. 31. verf. 33. Quis mihi tribuat, ut librum scribat ipse, qui judicat, ut in humero meo portem illum, & circumdum illum quasi coronam mihi? Quid hoc? Christum Dominum desiderat sacrarum Scripturarum conditorem. Hic liber etsi in via sarcina sit, in patria corona erit, cum liber sit vitæ æternæ æternam vitam inhalans. Sic Gregorius lib. 22. Moralium capit. 13. & 14. Librum in humero portare est Scripturam sanctam operando perficere. Et notandum quàm ordinatè describitur, & prius in humero portari, & postmodum sicut corona circumdari: quia videlicet sacri eloqui mandata si modò bene portantur in opere, post nobis coronam victoriæ exhibent. Propterea sapienter dixit Richardus in Psal. 118. Gloriosam Dei legem dixerim, quia de hac sola vel maxime quisque coronatur.

2260 Appellatur deinde sacra Scripturæ liber Testamentum Altissimi; sive pactum vel fædus Dei celsissimi; quod nobis Dei mentem, & voluntatem testatur: quòd varia Dei cum hominibus fædera contineat; & quia in hoc speciatim libro Deus hæreditatem hominibus, tanquam filiis legat. Cæterum cum Testamentum sit pactum, quod paciscentis morte firmatur, dubium est, quæ ratione in antiquo Dei cum hominibus fædere intercesserit mors, ut propterea illud Testamentum jure nominetur. Explanarunt id jam alii, & optimè Bellarminus nosfer in Psal. 24. 13. Pactum, inquit, illud, quod fecit cum hominibus Deus, quando legem dedit, ut ipsi sint populus ejus, & ipse Deus eorum, LXX. vocarunt Testamentum, quia continet promissionem hæreditatis, & quia morte testatoris confirmandum erat, sicut re verâ confirmatum fuit in morte Christi. In cujus rei signum Moyses asperxit sanguinem in populum, dicens: Hic est sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus, Exod. 24. 8. & ad Hebr. 9. 20. Verbo uno exposuit Sanctus Ambrosius libro 1. de Cain capit. 7. Testamentum dicitur, quoniam sanguine dedicatum est: vetus in typo, novum in veritate.

2261 Dividitur autem Testamentum in vetus & novum. Vetus est illa pars, quæ continet prisca fædera, ritus, figuras, & vaticinia novi. Novum est pars altera, quæ adventum Christi, adeoque figurarum complementum repræsentat. Hoc de cortice; nã quòd attinet ad nucleum, sapientissimè Augustinus

S. Gregor.

Richardus Victor.

S. Ambr. Vita æterna in sacra Scriptura. Job. 31. 35.

S. Greg.

Sacra Scriptura testam. Altissimi cur?

Exod. 24. 8. S. Ambros.